



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 55. Gallorum foedus a Ludovico expetitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

## §. LV.

Sæcul. XV.  
A.C. 1403.*Gallorum fœdus a Ludovico  
expetitur.*

Ergo sollicite inquirat, quo statu Gallo-  
rum res essent, cumque Borbonii Du-  
cissam regiminis auctoritate exutam,  
summamque imperii penes Caroli clien-  
tes Stephanum Versium, & Guilielmum  
Briffonnetum esse comperisset, nullum non  
movit lapidem, ut utrumque sibi de-  
vinceret. Accessit etiam Ludovici con-  
siliis summus Pontifex, aliunde Neapoli-  
tano Regi minus addictus, atque ambo  
communi sententia decreverunt, quosdam  
probatæ fidei Viros secreto in Gallias  
legare, qui explorato Regis animo præ-  
primis Versii ac Briffonneti operam, o-  
pemque implorarent. Horum primus  
inter Regiarum vestium custodes in Del-  
phini obsequio infima pene servitia ex-  
plebat, inde vero fortunam suam auspi-  
catus, ad regii cubicularii dignitatem,  
nec non ad Belloquadrensem Præfectu-  
ram evectus est. Alter in Regiarum ra-  
tionum Curia primo Præsidentem, dein æ-  
rarii Præfectum agebat, tandem vero Cle-  
ricali militiæ nomen dabat. Ambo a-  
pud Regem gratia, & auctoritate pluri-  
mum valebant, quocirca ad captandum  
eorum favorem Versio cujusdam Princi-

Ll 3 patus

Sæcul. XV.  
A.C. 1493.

patus in Neapolis Regno spes facta est, Briffonneto autem Cardinalitia dignitas promittebatur. Hi itaque tam amplæ pollicitationis illecebra capti nil intentatum relinquebant, ut Franciæ Regem ad tuendas Ludovici partes inducerent. Ubi autem de optato primi conatus successu fama percrebuit, hoc negotium magis aperte agitabatur, atque ideo Papam inter & Ludovicum erat conventum, ut ad Carolum Franciæ Regem solemnis Legatio decerneretur; Nominabantur ad exequendum hoc munus Comites Carolus Belioeusius, necnon Cajatsius ex Sanseverinatum familia ortus, aliunde juratus Ferdinandi hostis. His dabatur negotium, ut libellum satis amplum, in quo jura Regis in Neapolis regnum exponebantur, traderent, Regemque, ut jus suum armis strenue prosequeretur, hortarentur. Oratores demandata sibi provincia in pleno Regis Senatu defunguntur, commoda, ac inde gloriam in Gallos uberrime redundantem exaggerant, atque expeditionis facilitatem pluribus jactitant, his potissimum innixi rationibus, quod Ludovicus Gallis summe additus, & Neapolitani tyrannidem ac Ferdinandi sævitiam pertæsi, Veneti autem eidem summe infensi forent, ac denique quod summus Pontifex Gallis opem ferre, religiose promississet.

*Belioeusius*

§. LVI.